



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

1. Aliàs fel. rec. &c. Confirmatio & extensio Constitutionis Gregorii XV.  
revocatoria omnium Privilegiorum vivâ voce concessorum Regularibus,  
aliisque: anno 1622.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANN O  
1623.

rumdem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac praesidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus, tanquam sedis legatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos, tam seculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, ac suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente praedicare praesumpserint. Ita ut Episcopi in supra scriptis casibus, & in praenominatas personas, in praemissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas, uti ejusdem sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam sacri Palatii auditores, nec non Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium, militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, societatum, ac cujus alterius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam secularium, quam regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliis nuncupatis; conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut aliis quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessionis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; et amsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis speciali, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea quae eisdem praesentibus adversantur, illis aliis in suo robore permanentibus, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, ut eae tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariae Apostolicae, & in acie campi Florae publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut eandem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici sub-

scriptis, & sigillo Praelati, seu personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio, & extra illud, ubi opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, nonis Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

S. de Ursinis.

V. Dat.

Registrata in Secretaria Brevium.

In nomine Domini Amen. Anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo tertio: Indictione sexta, die vero octava Mensis Februarii; Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Pape XV. anno secundo, retrospectae litterae Apostolicae, affixae, & publicatae fuerunt ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae, dimissis ibidem earundem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earundem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmam Modium, & Alexandrum de Rochis sanctissimi Domini nostri Pape Cursores.

Octavius Spada Magister Curforum.

URBANUS OCTAVUS  
PONTIFEX CCXXXIX.

ANNO DOMINI MDCXXIII.

URbanus hujus nominis Octavus, Mathaeus Barberinus antea dictus: anno 1623. Pontifex recuciatus. Venit exponi eorum imagines in locis sacris, quos Ecclesiastica sanctos non edixerat. Cardinales *Eminentissimos* vocari iussit, qui prius *Illustrissimi*, & antea amplissimi audiebant. Vixit annis viginti uno, mense uno, diebus viginti quatuor. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. IV. fol. 1. App.*)

Confirmatio & extensio Constitutionis Gregorii XV. revocatoria omnium Privilegiorum viva voce concessorum Regularibus; aliisque: anno 1622.

I.  
Ex Memol.  
re du Cler.  
gé Tom. 1.  
pag. 981.

## URBANUS EPISCOPUS,

ad perpetuam rei memoriam.

ALias fel. rec. Gregorius Papa XV. praedecessor noster, ut subna centibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à sede Apostolica viva vocis oraculo saepe numero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis videlicet. *Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam.*

Ro.

ANNO  
1622.

Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiae Divina Providentia constitutus, gratias & indulgentia se, & praedecessoribus suis concessa, iustis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum & temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia, & singula indulgentia, & concessiones quascunque spirituales & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, a sede Apostolica, quae tamen viva vocis oraculo hactenus quomodolibet exemptis, ac sedi praedictae immediate subiectis, cuiuscunque dignitatis, praeminentiae, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in iis videlicet quae non sunt sortita effectum, tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua perpetuo fore, & esse; neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de caetero uti nullo modo posse, etiam si expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus Indultis, & aliis concessionibus praedictis, viva vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis praebuerunt: decernentes praesentes litteras, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcumque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, tum de latere legatos, & nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ordinibus, societatibus & Congregationibus praedictis, eorum Praepositis, Decanis, Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus & aliis superioribus praedictis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissis

rum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore huiusmodi, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Quodque eadem praesentes litterae, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae affixae, omnes ita ardeant & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri anno 2.

Cum autem experientia rerum magistra compertum sit, concessionis & gratias viva vocis oraculo, etiam a S. R. E. Cardinalibus obtentae, & ipsorum manu firmatae, saepe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinae Ecclesiasticae detrimentum executioni demandari. Id circo, quantum cum Domino possumus his & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium huiusmodi mature discutendum commisimus, omnia, & singula privilegia facultates, licentias, & gratias quascunque per summos Pontifices praedecessores nostros, ac per nos viva vocis oraculo, & S. R. E. praedictae Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque generalibus, Provincialibus, ceterisque superioribus & personis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & societatis, sive secularibus sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis & societatibus etiam societati Jesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis praedictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimentanda, occasione, pretextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut aliis quomodolibet concessa, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac de cetero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus. Praeterea, ut praesentes litterae omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citius innotescant, omnibus & singulis generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis superioribus quorumcumque ordinum, Congregationum, societatum, etiam societatis Jesu & Institutorum, sub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis activae & passivae poenis ipso facto incurrendis praecipimus, & mandamus, ut infra tres menses proximos a die publicationis praesentium computandos, omnes & singulos Pro-

ANNO  
1622.

ANN O  
1622.

vinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu & Institutorum, de eisdem presentibus literis certiores faciant, earumdemque presentium exemplaria illis transmittant; qui quidem Provinciales sub eisdem penis teneantur singulis Superioribus monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium precipere, ut easdem presentes subditis suis, ut moris est, publicent, decernentes presentes litteras etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari redargui, in jus, vel controvertiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci; siue adversus illas quodcumque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sique per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari, & desiniri debere, ac irritum & inane si quid fecus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praesentibus litteris huiusmodi, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quaesito privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa, quodque eadem praesentes litterae, siue illarum exempla ad valvas Basilicarum praedictarum, & in acie Campi Florae huiusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perinde ardeant & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima Decembris millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Pontificatus nostri anno nono.

M. A. Maraldus.

*Die, & anno supra dictis affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Florae, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, Sanctissimi Domini nostri Papae Cursorem.*

ANN O  
1623.II.  
Ex Op. D.  
Mirai Tom. 2.  
Pag. 112.

Urbanus octavus Pontifex confirmat declarationes sacrae Congregationis, quibus Ecclesiae Cathedralis Atrebatensis privilegia, & exemptiones a Jurisdictione Ordinarii cassata, & annullata fuerunt Anno 1623.

## URBANUS PAPA OCTAVUS,

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**D**Ecet Romanum Pontificem in Beati Petri Principis Apostolorum sede, a Domino constitutum, ut ea, quae per sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in partem Apostolicae sollicitudinis vocatos, pro sedandis litibus, & controversiis inter personas Ecclesiasticas vertentibus, mature, & consulte declarata, & firmata sunt, suum fortiantur effectum, opportune providere, & alias Pastoralis Officii sui partes desuper favorabiliter interponere, prout rerum, temporum, & personarum qualitatibus debite pensatis concipit salubriter in Domino expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, in Causa, seu controversia, aut quaestione materia de, & super jurisdictione, inter venerabilem Fratrem Hermannum Episcopum Atrebatensem ex una, ac dilectos Filios Capitulum, & Canonicos Ecclesiae Atrebatensis ex altera partibus vertente, & tunc Sedis Apostolicae in Belgicis diocesis commoranti Nuntio commissa, per illum verò ad dictam sedem, & ab ea ad Venerabiles fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sacri Concilii Tridentini Interpretes remissa, super ejusdem Causae seu controversiae statu, & meritis infra scriptis ab iisdem Cardinalibus emanant declarationes, seu decreta tenoris sequentis videlicet.

Cum annis superioribus Hermannus Ortembergus Episcopus Atrebatensis jurisdictionem sibi a Sacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis attributam, & quam felicitis recordationis Paulus Papa Quartus in litteris erectionis Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Belgii, instante gloriose memoriae Philippo II. Rege Catholico Anno 1579. expeditis in Civitates, & Dioeceses, Cleros, & Populos ejusdem Belgii suis ipsorum, qui pro tempore fuerint Episcopis competere declaravit, exercere vellent in duos Beneficiatos suae Cathedralis Ecclesiae, occasione incestus, nec non sacrilegii, seu forsitan alicujus incontinentiae criminis ab eis, ut praetendebatur, parati, Capitulum, & Canonici se opposuerunt, asserentes se unà cum Ecclesia Cathedrali, ejusque Beneficiatos Ministros, seu habitum ejusdem Ecclesiae deferentes esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione, praecipue in vim cujusdam praetensa concordiae Anno MCCCCXXXIX. a Fortigano tunc Atrebatensi Episcopo initae, & paulo post a felicitis recordationis Eugenio Papa Quarto confirmatae cum insertione totius tenoris in litteris confirmationis, atque ab immemorabili tempore observatae, quam quidem assertam concordiam praetendebant non esse sublatam decretis Concilii, tum propter duplex vinculum, tum quia Concilium non substituit nisi exemptiones eorum, qui subsunt immediatè sedi Apostolicae, non autem Capituli Atrebatensis, quod praetendit se immediatè fuisse subiectum primum Archiepiscopo Rhemeni, ac deinde Cameracensi, qui in illius locum fuit subrogatus, & propterea dicebant praesentem Episcopum, qui juravit se observaturum Jura, consuetudines, privilegia, ac libertates Ecclesiae non esse audiendum contra proprium juramentum, sed eum debere stare sententiae, seu decreto, quod Arrestum

Parla-